



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

XXII. Nemesis, sive Vices Rerum.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

pter subtilitatem & variam implicationem & ob-  
viam similitudinem, quæ vixulo iudicio, sed  
tantum experientia filo regi & discriminari pos-  
sunt. Nec minus aptè adicitur, quod idem ille,  
qui Labyrinthi Errores invenit, etiam fili com-  
moditatem monstravit; Sunt enim Artes Me-  
chanicæ, veluti usus ambiguus, atque faciunt  
& ad nocendum, & ad remedium, & ferè vir-  
tus earum seipsam solvit & rexit. Artificia autem  
illicita, atque ad eos Artes ipsas sæpius persequi-  
tur *Minos*; hoc est, Leges, quæ illas damnant,  
& earum usum populis interdicit. Nihilomi-  
nùs illæ occultantur, & retinentur, & ubique, &  
latebras & receptum habent, quod & bene no-  
tatum est in re non multum dissimili à *Tacito* suis  
temporibus de Mathematicis, & Genethliacis,  
*Genus* (inquit) *hominum, quod in Civitate no-  
stra semper & retinebitur, & vetabitur*. Et ta-  
men Artes illicitæ, & Curiosæ cujuscunque ge-  
neris tractu temporis, cum ferè quæ pollicean-  
tur non præstant (tanquam *Icarus* de Cælo) de  
existimatione sua decidunt, & in contemptum  
veniunt, & nimia ipsa ostentatione percunt. Et  
certè si verum omnino dicendum est, non tam  
feliciter Legum frænis coercerentur, quam coar-  
guuntur ex vanitate propria.

XX

## ERICTHONIUS, SIVE

IMPOTURA.

**F**Abulantur Poëtæ *Vulcanum* pudicitiam *Minerva* sollicitasse, atque subinde cupidine in-  
centum, vim adhibuisse, atque in ipsa Lucta  
semen in terram effudisse, ex quo *Ericthonium*  
natum esse, qui (partes superiores) decora &  
grata erat corporis compago, Femora autem &  
Tibia suberant in anguilla similitudinem, exi-  
lia & deformia: Cujus deformitatis cum ipse si-  
bi conscius esset, cum primum cursum usum  
invenisse, ut quod in corpore magnificum er-  
rat, ostentaret, probrum autem tegeret. Hu-  
jus Fabulæ miræ, & prodigiosæ ea sententia ef-  
se videtur. Artem quæ sub persona *Vulcani* ob  
multiplicem usum representatur) quoties per  
corporum omnimodas vexationes, Naturæ vim  
facere, eamque vincere ac subigere contendat,  
(Natura autem sub persona *Minerva*, ob ope-  
rum solertiam adumbratur) ad votum & finem  
destinatum rarò pertingere; sed tamen multa ma-  
chinatione & molitione (tanquam Lucta) in-  
tercidere atque emitti generationes imperfectas,  
& opera quædam manca, aspectu speciosa, usu  
infirma, & claudicantia; quæ tamen imposto-  
res, multo & fallaci apparatu ostentant, & ve-  
luti triumphantes circumducunt. Qualia ferè, &  
inter Productiones Chymicas, & inter subtilita-  
tes novitates Mechanicas sæpius notare licet;  
præsertim cum homines potius propositum ur-  
gentes, quàm ab erroribus suis se recipientes, cum  
Natura colluctentur magis, quàm debito obse-  
quio & cultu ejus amplexus petant.

XXI.

## DEUCALION, SIVE RE-

STITUTIO.

**N**arrant Poëtæ extinctis prorsus præsci Or-  
bis incolis per diluvium universale, Cum

foli restarent *Deucalion* & *Pyrrha*, qui ardebant  
desiderio pio, & in lyto instaurandi generis hu-  
mani, eos hujusmodi Oraculum excepisse: vo-  
ti compotes futuros, si ossa Matris acciperent,  
& post se jacerent: quod illis primò magnam  
tristitiam, & desperationem incussit: cum æ-  
quata rerum facie per diluvium, Sepulchri per-  
scrutatio omnino res sine exitu esset: sed tandem  
intellexerunt *Lapides Terræ* (cum *Tellus* omni-  
um mater habeatur) ab Oraculo significari. Fa-  
bula Arcanum Naturæ recludere videtur, & Er-  
rorem animo humano familiarem corrigere; Ho-  
minis enim imperitia iudicat rerum renovationes,  
sive instauraciones, ex earundem putredine & re-  
liquiis (ut Phœnicen ex cinere propria) susci-  
tari posse, quod nullo modo convenit. Cum  
hujusmodi materia spatia sua confecerint & ad  
initia ipsarum rerum prosus ineptæ sint. Itaque  
retrocedendum ad principia magis communia.

XXII.

## NEMESIS, SIVE VICES

RERUM.

**N***Emensis* traditur fuisse Dea, omnibus véné-  
randa, potentibus & fortunatis etiam metu-  
enda. Ea Noctis & Oceani filia fuisse perhibetur.  
Effigies autem ejus describitur talis. Alata erat,  
etiam coronata; in manibus autem gestabat Dex-  
tra Hastam è fraxino, sinistra Phialam, in qua  
inclusi erant *Aethiopes*: Infidebat autem Cer-  
vo. Parabola ejusmodi esse videtur; Nomen  
ipsum *Nemesis* vindictam, sive Retributionem  
satis aperte significat; Hujus enim Deæ Offi-  
cium, & Administratio in hoc sita erat, ut beatorum  
constantium, & perpetuæ felicitati instar Tri-  
buni plebis intercederet; ac illud suum *Veto* in-  
terponeret; neque solum insolentiam casti-  
garet, veram etiam rebus prosperis, licet inno-  
centibus & moderatis, rerum adversarum vices  
rependeret; ac si neminem humanæ sortis ad  
Convivia Deorum admitti mos esset, nisi ad Lu-  
dibrium: Equidem cum illud Capitulum apud  
*C. Plinium* perlego, in quo ille infortunia, &  
miserias *Augusti Caesaris* collegit, quem om-  
nium hominum fortunatissimum existimabam,  
quique artem etiam quandam utendi fruendi for-  
tuna habebat, ac cujus in animo nil tumidum,  
nil leve, nil molle, nil confusum, nil melanco-  
licum, annotare licet (ut ille etiam sponte mo-  
ri aliquando destinasset) hanc Deam magnam  
& præpotentem esse judicavi, ad cujus aram ta-  
lis victima tracta esset. Parentes hujus Deæ fu-  
erunt *Oceanus* & *Nox*; Hoc est, Rerum Vicissi-  
tudo, & Judicium divinum Obscurum, & Secre-  
tum; Etenim Vices rerum per Oceanum aptè re-  
presentantur, ob perpetuum fluxum, & refluxum;  
Occulta autem Providentia, per Noctem ritè pro-  
ponitur. Nam etiam apud *Ethnicos* natura illa *Nemesis*,  
cum scilicet iudicium humanum à divino  
discors esset, in observatione erat.

—Cedit & *Ripheus* iustissimus unus,Quis fuit ex *Tenris* & servantissimus equi.

Dix aliter visum.

Ablata autem describitur *Nemesis*, ob subit-  
tas rerum conversiones, nec ante prævias; Nam in  
omni



omni rerum Memoria illud ferè ufurvenit, ut homines magni, & prudentes per ea discrimina perierint, quæ maximè contempserint. Certè, cum *M. Cicero* à *Decio Bruto*, de *Octavii Cafaris*, minus sincera fide, & animo exulcerato innotuit esset; illud tantùm rescriptit: *Te autem, mi Brute, sicut debeo, amo, quod istud quicquid est nugarum me scire voluisti.* Etiam Corona *Nemesis* insignitur, ob naturam vulgi invidam & malignam: Quando enim fortunati & potentes ruunt, tum ferè vulgus exultat, & *Nemesis* coronat. Hasta autem in Dextra, ad eos pertinet, quos *Nemesis* actu percutit, & transfigit. Quos autem Calamitate & infortunio non mactat, illis tamen spectrum illud atrum & infaustum in Sinistra ostentat: Obversantur enim procul dubio mortalibus, etiam in summo fastigio felicitatis positis, Mors & Morbi, & infortunia, & amicorum perfidiæ, & inimicorum insidiæ, & rerum mutationes, & hujusmodi; veluti *Æthiopes* illi in Phiala; Certè *Virgilius*, cum prælium Actiacum describit, de *Gleopatra* illud eleganter subiungit:

*Regina in mediis, patrio vocat agmina  
sistro,*

*Nec dum etiam geminos à tergo respicit  
angues.*

Verùm non multò post quocunque illa se verteret, tota agmina *Æthiopum* obversabantur. Ad extremum prudenter additur, *Nemesis* in Cervo insidere, quia vivax admodum animal est Cervus; Atque fieri fortasse potest, ut qui Juvenis fato creptus sit, *Nemesis* pravertat & effugiat; Cui autem diuturna obvenit felicitas, & potentia, is procul dubio *Nemesis* subjicitur, ac veluti subternitur.

## XXIII.

## ACHELOUS, SIVE PRÆLIUM.

Narrant antiqui, cum *Hercules* & *Achelous* de nuptiis *Dejanira* contenderent, rem ad certamen deductam esse. *Achelous* autem, cum varias & multiplices formas tentasset, (nam hoc ei facere licebat,) tandem *Herculi* sub forma Tauri torvi, & frementis occurrit, & ad pugnam se paravit; *Hercules* verò, solitam retinens figuram humanam, in eum impetum fecit; Res cominus gesta est: Eventus autem talis fuit, ut *Hercules* alterum ex cornibus Tauri fregerit: Ille majorem in modum dolens & perterritus, ut cornu illud suum redimeret, permutatione facta, Cornu *Amalthea*, sive *Copia*, *Herculi* largitus est. Fabula ad Belli expeditiones pertinet; Apparatus enim Belli ex parte defensiva, (qui per *Acheloum* proponitur) varius admodum & multiformis est. Nam invadentis species unica est, & simplex, cum ex exercitu solo, aut classe fortasse constet, Regio autem, quæ in solo proprio hostem expectat, infinita molitur, oppida munit, diruit, Plebem ex agris & villis, in urbes & castella cogit, pontes extruit, prosternit, copias & commeatus comparat, distribuit, in fluviis, portibus, Collium faucibus, sylvis, & aliis rebus innumeris oc-

cupata est, ut novas rerum facies quotidie induat, & experiatur, ac tandem cum abunde munita & instructa fuerit, Tauri pugnacis formam & minas ad vivum representet. Ille autem qui invadit, prælium captat, & in hoc maximè incumbit, inopiam in Terra hostili metuens: Quod si fiat, ut prælio commisso, acie victor sit, & tanquam cornu hosti franget; tum procul dubio illud assequitur, ut hostis trepidus, & existimatione diminutus, ut se explicet, & vires suas reparet, in munitoria se recipiat; atque urbes & regiones victori ad populandum & diripiendum relinquat; quod verè instar Cornu illius *Amalthea* censeri possit.

## XXIV.

## DIONYSUS, SIVE CUPIDITAS.

Narrant *Semelen Jovis* pellicem, postquam juramento eum inviolabili ad votum indefinitum obstrinxisset; petiisse ut ad amplexus suos accederet talis, qualis cum *Junone* consueffet: Itaque illa ex conflagratione periit. Infans autem, quem in utero gestabat, à patre exceptus, in femore ejus insutus est, donec Menses fortui destinatos compleret; ex quo tamen onere *Jupiter* non nihil claudicabat: Itaque puer, quod *Jovem* dum in femore ejus portaretur, gravaret, & pungeret, *Dionysus* nomen accepit. Postquam autem editus esset, apud *Proserpinam* per aliquot annos nutritus est; cum verò adultus esset, ore ferè muliebri conspiciebatur, ut sexus videretur tanquam ambigui: Etiam extinctus & sepultus erat ad tempus, & non ita multò post revixit. Atque prima Juventa vitis culturam, atque adeò vini confectionem, & usum primus invenit, & edocuit; ex quo celebris factus, & inclutus, orbem terrarum subjugavit, & ad ultimos Indorum terminos perrexit: Curru autem vehabatur à Tigribus tracto: Circa eum subsultabant Dæmones deformes *Cobali* vocati, *Acratus* & alii: *Quin* & *Musa* comitatus ejus se addebant. Uxorem autem sibi sumpsit *Ariadnen* à *Theseo* desertam, & relictam. Arbor ei sacra erat *Hadera*. Etiam sacrorum & ceremoniarum Inventor & institutor habebatur, ejus tamen generis, quæ & fanaticæ erant, & plenæ corruptelarum, atque insuper crudeles. Furores quoque immittendi potestatem habebat. Certè in Orgiis ejus à Mulieribus furore percitis, duo viri insignes discerpti narrantur, *Pentheus* & *Orpheus*, ille dum arbore conscensa, spectator eorum, quæ agerentur esse voluisset; hic cum *Liram* pulsaret. Atque hujus Dei res gestæ cum *Jovis* rebus ferè confunduntur. Fabula videtur ad mores pertinere, ut nihil in Philosophia morali melius inveniat. Describitur autem sub persona *Bacchi* natura Cupiditatis, sive affectus & perturbationis. Mater enim Cupiditatis omnis, licet nocentissimæ, non alia est, quam Appetitus & Desiderium Boni Apparentis: Concipitur verò semper Cupiditas in voto illicito prius temerè concesso, quam intellecto & judicato. Postquam autem affectus effervescente cœperit, Mater ejus, (natura scilicet Boni) ex nimio incendio destruitur, & perit: Cupiditas autem dum immatura est, in anima humana; (quæ ejus genitor est, & per *Jovem* representatur) & nutritur, & occultatur, præcipuè in ani-